


EPISTULA LEONINA

CXCVIII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CXCVII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUODEDUCENTESIMAM (198) !

ARGUMENTA

NOLITE EXPAVESCERE.....	03
CHRONOGRAMMA PASCHALE IOHANNIS DEMMING.....	04
CHRONOGRAMMA PARASCEUES PATRIS HERBERTI DOUTEIL.....	05
GENERALIA: DE ECCLESIA NOSTRAE DOMINAE PARISINA.....	06-08
EHEU! ECCLESIA NOSTRAE DOMINAE INCENDIO DESTRUCTA EST!.....	09
NUM IGNIS EX NIHILO EXORTUS EST?.....	10-15
CARMEN PASCHALE (<i>Teresi</i>).....	16
VOTA PASCHALIA.....	17

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

nunc tandem tibi offero Epistulam Leoninam duodeducentiesimam (198). Quae est Epistula Paschalis. Sive argumenta tibi placent sive displicent, scribas nobis quidquid tibi in buccam venerit. Gratias tibi ago in antecessum.

Denuo cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruer!

IN FESTUM PASCHALE TIBI OPTIMA QUAEQUE EXOPTO!

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ Paschali, 21. m.Apr., a.2019**



**ΜΗ ΕΚΘΑΜΒΕΙΣΘΕ
ΙΗΣΟΥΝ ΖΗΤΕΙΤΕ
ΤΟΝ ΝΑΖΑΡΗΝΟΝ ΤΟΝ ΕΣΤΑΥΡΩΜΕΝΟΝ
ΗΓΕΡΘΗ
ΟΥΚ ΕΣΤΙΝ ΩΔΕ**

**NOLITE EXPAVESCERE
IESUM QUAERITIS
NAZARENUM CRUCIFIXUM
SURREXIT
NON EST HIC**

MARCUS 16,6

CHRONOGRAMMA

PASCHALE

IOHANNIS DEMMING

LAETIFICANTIA FESTA

PASCHALIA!

IOANNES MONASTERIENSIS

VOBIS CVNCTIS S. D.

CHRONOGRAMMA

PARASCEUES

PATRIS HERBERTI DOUTEIL

**2019* IesVs ChristVs CrVCI affIXVs ait nobIs per os
prophetae: In Caritate Veritatis DILeXI te, propterea
attraXI te MIserans.**

Jesus Christus sagt uns bei seiner Kreuzigung durch den Mund des Propheten:
„Mit wahrer Liebe habe ich dich geliebt und deshalb voll Erbarmen an mich
gezogen“. Jer 31,3; vgl. Joh 12, 32

**2019* passIo atroX atqVe pVra IesV Christi In CrVCE eXVtI
Vere suffICit pro oMnIbVs nobIs neC Vero effICit toTos
saLVos CaVsa LIBerI arbitriI VnIVsCVIVsqVe.**

Das blutige, aber zugleich unbefleckte Leiden des am Kreuz entblößten Jesus
Christus ist wirklich genügend für uns alle, macht aber nicht alle wirksam selig
wegen des freien Willens eines jeden.

Es ist ein Chronogramm zur offiziell am 01. 12.2013 im Kanon der Messe
verpflichtend wieder eingeführten Übersetzung des übereinstimmend von
Matthäus (Mt 26,28) und Markus (Mk 14,24) überlieferten „pro multis“ = „für
viele“ statt des zwischenzeitlich gebräuchlichen „für alle“; das Chronogramm
gibt die in der mittelalterlichen Theologie übliche Unterscheidung von
„genügend für alle“, aber der wegen des freien Willensentscheides eines jeden
Menschen „Wirkmächtigkeit nur für viele“ wieder.

ECCLESIA CATHEDRALIS NOSTRAE DOMINAE PARISIENSIS



Ecclesia Nostrae Dominae Parisiensis^[1] (francogallicê: *Cathédrale Notre-Dame de Paris*) est cathedralis archidioecesis Parisiensis Ecclesiae Catholicae Romanae in parte orientali Insulae Civitatis *Arrondissement IV* Lutetiae in Francogallia sita. Inter praecipua architecturae Gothicae opera numeratur et una cum Turri Eiffeliana et Museo Lupariensi insigne Lutetiae est. Curis episcopi Mauricio de Soliaco aedificari incepta est. Primus lapis anno 1163 positus est si

fides in fontibus serioribus ponere licet: *Galla Christiana* enim ex auctore saeculo quarto decimo de Mauricio ita refert:

"circa id tempus [mense Aprili 1163] prima novae cathedralis fundamenta iecit, cuius primarium lapidem posuit Alexander III ut habet Ioannes canonicus Victorinus."^[2]



Despectus in cathedralem ex Turri Montis Parnassi.

De ecclesiâ incohâtâ *Robertus Antissiodorensis* monachus in *Chronologiâ* suâ anno 1175 his verbis refert:

"Hic, inter praeclara opera sua, ecclesiam cui praeerat a fundamentis exstruxit."^[3]

Similiter *Robertus de Torigneio* in *Chronicis* suis sic sub anno 1177 ait:

Mauricius, episcopus Parisiensis, iam diu est quod multum laborat et proficit in aedificatione ecclesiae praedictae civitatis, cuius caput iam perfectum est, excepto amiori tectorio. Quod opus si perfectum fuerit, non erit opus citra montes cui apte debeat comparari.^[4]

Altare ecclesiae feriâ quartâ *Pentecostes* (19. Maii a.1182) ab *Henrico de Marsiaco*, legato pontificali, consecratum est.^[5] Ita

continuatio *Chronicorum Sigeberti Gemblacensis* sub anno 1182 de *episcopo Mauricio* refert:

Ecclesiam beatissimae Dei genitricis Mariae, in qua ipse residet episcopus, propriis magis sumptibus quam alienis decentissimo et sumptuoso opere renovavit, plateam ante ipsam ecclesiam inter utrumque pontem dilatavit, redempto magno pretio a civibus loco, multis mansionibus prius occupato.^[6]

Heraclius patriarcha Hierosolymitanus, Lutetiae ad expeditionem sacram suadendam profectus, die 17 Ianuarii 1185 missam in choro ecclesiae celebravit orationemque ad populum pronuntiavit.^[7] *Mauricio de Soliaco* anno 1196 mortuo ecclesia iam fere confecta est, sed sine tecto. Ille igitur in testamento suo denarios centum "ad tectum novae fabricae ecclesiae faciendum plumbeum" donavit.^[8] Die 15. m. Aprilis 2019, cathedralis magno incendio deflagavit, altissima turris cecidit, tectumque collapsum est.^[9]

Sepulturae

Galfridus dux Britanniae, suadente amico *Philippo Augusto* rege Lutetiam profectus ibique malo casu die 19. m. Aug. a. 1186 mortuus, primus omnium ad altare novae ecclesiae sepultus est.^[10] Mox eodem loco *Isabella* regina, *Philippi Augusti* prima uxor, die 15. m. Mart. 1190 mortua, deposita est:^[11] sepulcrum eius iussu *Eugenii Viollet-le-Duc* anno 1858 inspecta est, qui ibi repperit argenteum reginae sigillum.^[12]

Notae

1 Cf. Hugo, Victor: *Notre-Dame in Paris*. 2 Vol., Lipsiae (1895), Vol. 2, p. 102: *ante portaliū maximum Nostrae-Dominae, ecclesiae cathedralis*, in interrete: [apud zeno.org](http://apud.zeno.org); similiter, eodem auctore, "[in nomine sanctae ecclesiae Nostrae-Dominae Parisiensis](#)"

2 *Gallia Christiana*. 3a ed. (Lutetiae, 1715-1865) [vol. 7](#) col. 71; citatur [Ioannes de Sancto Victore](#), *Memoriale historiarum*.

3 [Robertus Antissiodorensis](#), *Chronologia* anno 1175 [textus](#)

4 [Robertus de Torigneio](#), *Chronicon* anno 1177 [vol. 2 p. 68 Delisle](#)

5 [Galfridus Vosiensis](#), *Chronicon Lemovicense* (*Recueil des historiens des Gaules et de la France* (Lutetiae, 1840-1904) [vol. 18 p. 212](#)).

6 Continuatio *Chronicorum Sigeberti Gemblacensis* anno 1182 [*Monumenta Germaniae historica* – Scriptores vol. 6 [p. 421](#)].

7 [Rigordus](#), *Gesta Philippi Augusti* [vol. 1 p. 47 Delaborde](#).

8 *Obituarium Ecclesiae Parisiensis* die 11 Septembris [pp. 145-146 Guérard](#).

9 "Paris' Notre Dame Cathedral on fire," CNBC, 15 Aprilis 2019 (www.cnn.com).

10 [Rigordus](#), *Gesta Philippi Augusti* [vol. 1 p. 68 Delaborde](#); *Obituarium Ecclesiae Parisiensis* die 21 Augusti [\(sic\) p. 133 Guérard](#).

11 [Rigordus](#), *Gesta Philippi Augusti* [vol. 1 pp. 97-98 Delaborde](#); *Obituarium Ecclesiae Parisiensis* die 15 Martii [pp. 29-30 Guérard](#).

12 Aubert 1929: 32.

**EHEU! ECCLESIA NOSTRAE DOMINAE
INCENDIO DESTRUCTA EST!**



<https://www.mmnews.de/vermishtes/122716-notre-dame-feuer-aus-dem-nichts>

Num ignis ex nihilo exortus est?



d.19. m.Apr. a.2019

scripsit *Gabi Röhr*, in Latinum convertit *Leo Latinus*.

Potestne adhuc aliquis credere istam rem fortuito esse factam, si scit Francogalliam ex anno ineunte passam esse impetûs in ecclesias catholicas factos innumeros? Sôlo mense Februario in ecclesias Francogalliae facti sunt impetûs quadraginta septem (47).

„*Précision Notre Dame: les travaux de restauration proprement dits n'avaient pas encore débuté, seuls les échafaudages étaient en cours de montage. Aucune soudure et pas de point chaud possible, donc*“.

François Chatillon

architectus principalis Monumentorum Historicorum Lutetiensium

i.e. Latinê: Opera restaurandi nondum erant incohata, nihil nisi tabulata aedificandi erat exstructum. Neque iam facta est ferruminatio neque fuit ullus locus periculosus possibilis.

Haec verba sat gravia in Francogalliâ accepit *Matthias Matussek*, olim redactor *Speculi Hammaburgensis* eminens. Ipse *Franciscus (François) Chatillon*, architectus praeceptor Ecclesiae Nostrae Dominae Parisiensis, his verbis scilicet Francogallicis dicit ea, quae fuerunt, sunt, erunt inde ex illo tempore, quo *caterva Merkelio-Macroniana* Europam et Germaniam et Francogalliam ad supplicium tradidit. »Quia sunt cimelia nobis carissima«...

Vespere diei Lunae, h.18.50 – Ardet Ecclesia Nostrae Dominae! Venerabilis haec ecclesia cathedralis praevetusta, unum e symbolis capitis Francogalliae, incendio flagrat vehementissimo. Miliones christianorum ubique terrarum consternati sollicitantur. Qui exspectant nuntios explicationesque rerum praesentium. Necnon homines in Germaniâ versantes talia exspectant. At quid emittitur a statione *ARD* expensis radiotelevisificis saginatâ?

Tertio loco nuntiorum afferuntur nonnulla verbula arida. Nuntius, cui hâc die maxima vis attribuitur, spectat ad scandalon *Domini Winterkorn* negotiationis VW Dieselianum. Temporibus generationis *Gretae Thunberg* problema motri Dieseliani (propter clima protegendum) plus valet. Scilicet inter emissores nuntiorum sinistro-prasinos¹ tales res praevalere aliis. Nonne tali die, quo ardet unum e praestantissimis aedificiis christianitatis, praebenda est eius causâ emissio specialis? Nequaquam – ne nimium curetur cultus religiosus qui emoritur.

Num cecidit nix omnium ultima? Imminet aetas glacialis!

At si hieme cadunt nonnullae plumulae nivales, statim clamatur: „Aduvate! Ingruit hiems!“ ...: Pluribus diebus fiunt emissiones speciales! Sic factum est mense Ianuario. Recordamur istum relatorculum fortissimum, qui passus est nive infodi, ut demonstraret molium nivalium vehementiam. O homuncule praemio Pulitzeriano dignissime! Immo, Nobeliano! Saltim alternativo. En thema diurnariorum sinistro-prasino-russatorum gravissimum: condiciones tempestatis „extremae“. Clima! clima! Bellissimê! Semper placent nuntii, qui spectant ad clima ...

Sic autem revertimus ad malum istud motrum Dieselianum. Scilicet istos bellatores stationis *ARD* climaticos rem suam tractare quadam cum consequentiâ logicâ. St, hanc rem ne prodas aliis: Veris meteorologis haec hiems nivosa videtur nullo modo esse extraordinaria. Scilicet relatores televisionis ferias in regionibus tropicis degentes putare tales hiemes esse omnino insolitas, immo calamitasas...

¹ sinistro-prâsinus, -a, -um orig. *linksgrün*.

Redactor principalis: »*Nos non facimus televisionem, quae placet inhiatoribus¹ spectaculorum*«

Itaque statio ARD nullam emissionem praebuit specialem pro „Nostrâ Dominâ“ Parisinâ, quamvis eadem flagraret etiam etiamque vehementius. Scilicet redactoribus immissa est grando vituperationum vehemens. Tum *Rainaldus Becker*, redactor ipsius ARD principalis, qui conspectu est tali, qualis quadrat ad salarium eius opulentum coacticiis tantum expensis comparatum, aliquatenus indignatus, ut est arrogans atque baceolus², friguttiens³ ista verba addidit etiam impudentiora: „*Nos non facimus televisionem, quae placet inhiatoribus spectaculorum.*“⁴

ISTUD sanê oportet rectê consideres. Homines solliciti christianique fideles ubique terrarum viventes, qui scire velint, quidnam fiat de symbolo christianitatis praevetusto, ab isto *Rainaldo Becker* appellantur „*inhiatores spectaculorum*“! Vernali tempore tam frigido ore loqui nesciunt ipsi Mamertus, Pancratius, Servatius Sancti Viri Glaciales⁵. Ne dicam de Sanctâ illâ Sophiâ Frigidâ⁶, cum conspiciamus stationis ARD valcyram illam flavicomam tempestatis relatricem...

Num Ecclesia Nostrae Dominae sita est in polo australi?

Postea *Rainaldus* aliquantulo submissius locutus est. *Rainaldus Becker* diurnario ephemeridis BILD dixit haec: „*Optabile quidem fuit fieri emissionem de huius ecclesiae incendio specialem, sed illo tempore ratione logisticâ talis emissio fieri non potuit, quia relator nostrae stationis ARD iter faciebat ad locum incendii ipsum, ut primus relator Germanus de re referret directê loco ipsissimo.*“

Nos quidem audita comprehendamus: Emissionem ratione logisticâ fieri non potuisse ... sed relatores ipsius ARD iter fecisse ...

¹ ***inhiator spectaculorum** orig.: *Gaffer*. cfr Aristoteles, De moribus (= Ethica Nicomachea), Ioachimo Peronio Cormoeriaceno interprete, Basileae 1540, p.296: „Qui deficit: pusillanimus; qui excedit: **inhiator**, et inflatus dicitur.“

² **baceolus**, -a, -um orig. *dumm wie Brot*. cfr SUET.Aug.87,2: Ibi Augustus dicitur usus esse verbo *baceolus* loco verbi *stultus*. Georges in lexico suo indicat has significationes theodiscas: „*stockdumm, Dummhut*“.

³ **friguttiō, -ire**: orig. *twittern*.

⁴ **tēlevīsiō quae placet inhiatōribus spectaculorum** orig. *Gaffer-TV*.

⁵ **Sāncti Viri Glaciālēs** orig. *die Eisheiligen*.

⁶ **Sāncta Sophia Frīgida** orig. *die Kalte Sophie*.

Ubinam? Num iter faciebat in polo australi? In montibus Andibus? At doleo ecclesiam cathedralem Nostrae Dominae sitam esse mediâ in urbe Francogalliae principali.

Num facta est attentatio? Istud ne fiat nunc...

Nonne infuit relator ipsius *ARD* ordini primo? An reverâ relator observans magis exspectavit quam rettulit...fortasse speravit rem adhuc posse oblivione obrui. Num facta erat attentatio?? Bone Deus, id ne fiat nunc. Ut bene scias imminere electiones Europaeas...

Necnon Deo gratias agamus, quod homines Parisini rei igniariae peritissimi, quâ sunt omniscientiâ, primis iam flammulis aspectis strictê excluserunt attentationem cuiuslibet generis. Nam id quod esse non licet, esse non potest, nonne? Hoc est apud Gallos non aliud quam apud Teutonixas alterâ in ripâ Rheni viventes, immo ibi iam ex aetate Merkelianâ ineunte.

Praecipuê attentatio in Ecclesiam Nostrae Dominae facta omnino displiceret *Emmanueli Macrono* Francogalliae „gerontocomo primo“. Nonne is iam sat occupatus est colobiatis¹ contumacibus superandis, qui cupiant pecuniam argentariorum. Tamen nota bene: Tribus tantum septimanis antea, die 17.m.Martii, iam facta erat attentatio incendiaria in Ecclesiam etiam magnam et illustrem Sancti Sulpicii (*Saint-Sulpice*). Num verê fortuita est ista rerum propinquitas temporalis??

Sôlo mense Februario 47 ecclesias Francogallicas esse afflictas

Num adhuc credamus hanc rem fortuito esse factam, si scimus Francogalliam ex hōc anno ineunte pati impetûs in ecclesias catholicas factas innumeros? In ephemeride *Newsweek* referuntur sôlo mense Februario in ecclesias facti esse impetûs quadraginta septem (47). Detrimenta per totam terram passim sunt facta incendiis, vandalismo², sacrilegio. Num magistratus reverâ nesciunt, quare facta sint? Quonam

¹ +colobiātī, -ōrum m.pl. fr. *les gilets jaunes*; theod. *die Gelbwesten*; angl. *yellow vests*..

² *vandalismus, -ī m. orig. *Vandalismus*. cfr **Gottfried Ernst Groddeck**, an Adam Kazimierz Czartoryski, am **30.11.1795**, in: Hans Rothe (ed.), *Gottfried Ernst Groddeck und seine Korrespondenten*, Berlin/Boston (Walter de Gruyter) 2015, p.105: „(Sosius Vratislaviensis) Gallo-Francorum **vandalismum** praetendit, cur tam sero mandatis TUIS... Robespierii enim dominatione Palatinatum armis hostilibus ingressi, cum, divinarum pariter ac humanarum legum contemtu habito, neque hominum foeda strage satiati in incolarum tecta domosque etiam igne ferroque grassati essent, bonis litteris etiam Musarumque sanctis contuberniis noxam inferre gestientes, Bipontinae societatis officinis typographicis funditus destructis, omnem librorum typis iam exaratorum copiam secum abduxerunt.“

modo Iesus his diebus dixit duobus ferê milibus annorum ante dixit Petro: „*Antequam gallus cantet, ter me negabis*“.

Antequam gallus cantavit, Petrus illum ter negaverat... Gallus autem gallicus ne cantat quidem. Ille gallus enim in Palatio Elyseo versans. At illae gallinae in Comitiiis Berolinensibus nihil iam gracillant nisi ea quae mater gallina gloriando imperavit¹...

Diurnarius ipsius Newsweek horrei nuntiorum americani in editione d.21.m.Mart. scribit haec: „*Sollicitantur autem, quod in Francogalliâ crescit affectus animorum anti-catholicus*“. Necnon verba affert ipsius *Ellen Fantini* gestricis negotiorum *Sedis observatoriae christianos in Europa non tolerandi et discriminandi*², quae spectat ad Commissionem Episcoporum in Unione Europaeâ versantium (COMECE): „*Cogito in Francogallia augeri quandam hostilitatem in ecclesiam eiusque symbolas versam. Quae hostilitas videtur christianismo symbolisque christianitatis adversari*“.

Neronem, si comparetur cum christianorum persecutoribus hodiernis, esse virum sanctum

Etiam si hoc non quadrat ad islamophiliam globalismi Merkeliani sinistro-prasini: Non iam negari potest antichristianismus, i.e. hostilitas adversus christianos manifestata³. Plus 200 miliones christianorum hodie ubique terrarum persecutionem patiuntur, quia confitentur se credere in Iesum Christum. Istaec persecutio christianorum est maxima omnium, quae umquam factae sunt! Sôlo anno 2018 quattuor milia centum triginta sex (4136) christianorum interfecta sunt propter fidem suam religiosam. Anno 2017 interfecta erant duo milia septingenti octoginta duo christianorum (2782). En augmentum dramaticum. Num tanta scelera commisit Nero? Num Diocletianus? Iidem si numero christianorum, quos persecuti sunt

¹ orig. „Der gallische Hahn krâht nicht mal mehr. Jedenfalls der im Élysée-Palast. Die im Reichstag gackern sowieso nur noch, was die Mutti-Henne vorgoekt ...“

² orig. *Beobachtungsstelle gegen Intoleranz und Diskriminierung von Christen in Europa*.

³ orig.: „Auch wenn es Merkels linksgrünem Mainstream nicht ins islamaffine, globale Welt-Konzept passt: eine Christianophobie – Christenfeindlichkeit - lässt sich nicht mehr leugnen“. Parum convenit verbum *Christianophobie*, quâ auctrix imitata est verbum *Islamophobie*, quod confinxit Iranianus *Ayatollah Ruhollah Musawi KHOMEINI* (1902-1989), unus ex islamicis tyrannis maximê terribilibus. Hôc enim verbo Chomeinus voluit dicere islamum a christianis timeri sensu quodam morbosus, non naturali. At reverâ non est christiani morborum islamum timere, sed doctrinae islamicae periti. E contrario christianismus muslimis non est timori (gr. φόβος), sed odio sive hostilitati. Ergo rectius dicatur *antichristianismus sive *misochristianismus.

mortiferê, comparantur cum persecutoribus hodiernis, sunt viri aliquatenus probi, ne eosdem dicamus viros sanctos.

Vicarius Dei quidnam dicat? „Ähhh ...“

Quidnam dicit *Papa Franciscus*, qui dicitur esse „*Pater Sanctus(!)*“ de isthac re? Papa Franciscus evitat thema persecutionis christianorum ita ut diabolus evitat aquam benedictam. Qui studet, ubicumque hoc fieri potest, hoc thema animi versatilitate iesuiticâ magnâque cum verbositate, sed sine argumentis evitare. Ut exemplum afferamus, legamus textum ex “Conferentiâ diurnariorum volaticâ” excerptum, quae facta est papâ ex *Abu Dhabi* revolante die 5. m. Februarii:

Franca Giansoldati (Il Messaggero) : „Sanctitas Vestra, imamus *Al-Tayyeb* condemnavit islamophobiam, verbis extulit *islamophobiam*, timorem islami ... Quare nihil audivimus de *christianophobiâ* aut de *persecutione christianorum*?“

Papa Franciscus: „Profecto locutus sum de persecutione christianorum, non hîc momento temporis, sed loquor ... ähhh ... etiam saepe de hac re ... Etiam in hîc itinere locutus sum de hac re ... ähhh ... Non recordor, ubi ... Ähhh ... Sed de hac re ... locutus sum.“

Cum pharisaeorum subadiuvae Iesum flagellabant, ut sanguinem efflueret, Petrus dixit: „*Mulier, non nôvi illum...*“. Restatne aliquid quaerendum, Deus carissime? Quandonam tandem mittes filium tuum in templa istorum hypocritarum miserorum Romae, Monaci, Moguntiaci, Augustae Treverorum, Coloniae Agrippinae, Lutetiae, Berolini versantium??

Scripsit **Gabi Röhr**, in Latinum convertit **Leo Latinus**.

d.17. m. Martii Lutetiae in Ecclesiam Sancti Sulpicii facta est attentatio incendiaria:

<http://www.leparisien.fr/paris-75/paris-l-incendie-a-l-eglise-saint-sulpice-n-etait-pas-accidentel-18-03-2019-8034678.php>

https://www.lepoint.fr/societe/paris-qui-a-mis-le-feu-a-l-eglise-saint-sulpice-19-03-2019-2302387_23.php

<https://www.youtube.com/watch?v=CfNeFVhS-ro>

Hagen Grell: Notre-Dame in Flammen - Angriff auf das Christentum?

https://la.wikipedia.org/wiki/Ecclesia_Cathedralis_Nostrae_Dominae_Parisiensis

CARMEN PASCHALE

Excellentissime ac Doctissime Domine,

“Corpori tota in eius extensione, i.e. mundo facto, potentiae tuae gratia et fides meae, puncto convergente magnifico et vivente ubi omne dilabitur et ad vitam semper venit ... Ego omnino me do ...” (Petrus Teilhard de Chardin)

Vobis ferventibus optimum diem festum Paschalem Vobis exopto.

Johannes Teresi

Tunica venerata

Corpus se trahit cruciatum, exanimatum
per duram Calvariam male crepidatum.
Iam non est in cordibus pietas
innocentia, sapientia interficitur
fructus Vitae frustra intelligitur.
Tunica cruore perfuso imbuitur
lacera et luto sordida, vulneribus tegitur.
In Calvaria crux, stans inter vicinos criminosos
fert membra exilia, confixa, dolores ignotos.
Jesus horrorem non curat
Dei Filius parcat et amat.
Mater interea tunica potitur
lindea Filii calida amplectitur;
Eum Divinum corde vulnerato immo admiratur,
deinde non clamat, quia futurum eius consideratur:
“Non omnis morietur”.
“Resurrexit”, fratres eius tandem clamabunt
ineptiae sunt ea momenta, numquam errabunt.
Vita iam resplendet exstinctis caliginibus
implet caeli fines imbribus tenacibus
terramque dulcibus lacrimis patentibus.
Lux Divina delet postremo mortem et dolorem.
Rem spe delenit mortalem et angorem.

Johannes Teresi

VOTA PASCHALIA



CARA LECTRIX, CARE LECTOR

IN FESTUM PASCHALE ANNI MMXIX

OPTIMA QUAEQUE TIBI EXOPTAT



LEO LATINUS

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIS AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

HANC EPISTULAM LEONINAM
DUODEDUCENTESIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



Die Dominicâ Paschali, 21. m.Apr. a.2019

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

